

Theses medicae de saliva ... / [Johann Daniel Bilger].

Contributors

Bilger, Johann Daniel.
Henninger, Johann Sigismund, -1719.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Johannis Welperi, [1705]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/haj68j23>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13763/p

Q. D. B. V.

THESES MEDICÆ
DE

SALIVA,

Quas

Divina Favente Gratia,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI

DN. JOH. SIGISMUNDI
HENNINGERI,

Medic. D. & Profess. Publ. Capit.

Thom. Canon.

Publicè defendet

JOH. DANIEL. Bilger / Argentinenfis.

Ad diem 23. Mens. Decembr. M DCC V.

Horis locoque solitis.

ARGENTORATI, Literis JOHANNIS WELPERI.

b. xviii. 4/18

14. c. 2

CELEBERRIMO
LIBERALITATIS
SCHENCK-
BECHERIANÆ

DNN. DIRIBITORUM
COLLEGIO,
VIRIS

IN REPUBLICA ET UNI-
VERSITATE ILLUSTRISSIMIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLISSIMIS, MAXIME
REVERENDO, CONSULTISSIMIS,
EXPERIENTISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMIS

SUMMIS STUDIORUM
PATRONIS

ad Dies vitæ Colendis,

UT ET

24691



DOMINO
EBERHARDO
PAPELIER,

Med. Doct. Experientissimo, inque
Civitate Patria Practico Felicissimo; Ut & Sere-
nissimo Principi Birckenfeldensi, aliisque Principibus
& Magnatibus à Consiliis Politicis pariter atque
Medicis, nec non Physico Comitatum
Rapoltsstein & Bischweiler /

*Fautori & Agnato nunquam
non devenerando.*

DN. JOH. NICOLAO
Sederer /

Mercatori Primario, Affini filiali
cultu honorando,

DISPUTATIONEM hanc MEDICAM
consecrat, se suaque Studia commendat
Tantorum Nominum

Devotissimus cultor

JOH. DANIEL Bilger / Argent.



I. N. J.

Procœmium.

C*ibum gratum & palato nostro acceptum præcipue esurientes si conspiciamus, vel saltim si ex sola illius mentione desiderium ejusdem obrepit, tunc Salivam copiosam in oris cavitatem effundi, inque eam ex suis fontibus exsilire deprehendimus, spiritibus animalibus eo tempore copiosius ad glandulas salivales influentibus, & hac ratione Salivam subtiliorem & tenuiorem in os protrudentibus. Unde & in locutionem proverbialem abiit, ut ea quæ vehementer appetimus & ardentè desideramus Salivam nobis movere*

dicantur, & Salivam alicui movere, desiderium erga rem aliquam in quopiam excitare. Hinc & Seneca Epist. 79. inquit: Aut ego te non novi, aut Aetna tibi Salivam movit: ad quem locum Lipsius inquit: Quod fit in subito appetitu cibi vel obsonii, Lingua & os humescunt & sumere allubescunt. Pro presenti Disputatione Academica Saliva utpote liquor utilissimus & nobis Salivam movit, ut quasdam Theses de ea in chartam conjiceremus & examini subjiceremus, quò Nobiliss. Dn. Defendens occasionem haberet, quanta cum industria hætenus in Studio Medico sit versatus publice probandi. Quod ut feliciter procedat, & præsens tractatio ad Lectorum Salivam faciat, est quod ex animo optamus.

I.

Liquor hic maxime nobis necessarius, totique œconomiae animali saluberrimus communissimo nomine dicitur Saliva, rarius Salivum. Quod vocabulum quidam deducunt à Græco σαλεύω, quod idem est ac fluctuo, salio, propterea etiam nonnulli à Latino Salire derivant, ex ea non incongrua ratione, quod hic liquor in-

star

star limpidi cujusdam fontis ex sua scaturigine suisque canalibus continuo motu in os profiliat, illudque humectet varios in usus. Non enim lento cursu tantum in os influit, sed etiam quandoque profilit, imo observavit Pechlinus l. 2. obs. 47. p. m. 324, sæpe tam vehementes esse liquoris hujus impetus, ut conspectis cibis, vel audito eorum nomine, Saliva copiosissima protinus os inundet, neque inundet tantum, sed emissitiis radiis etiam in longius & pedum aliquot intervallum pluvii roris inster projiciatur, quem lusum in Cajo se semel iterumque miratum esse tradit, imo sibi ipsi accidere solere, ut crescente cum meridie appetitu ad certum motus fibrarum sublingualium momentum compressæ glandulæ seu ductus salivales, striatum salivæ radium vel per media dentium interstitia fortissime & in longinquum evacuent.

II.

Alii denominationem à sale desumunt, quod sicuti est gratissimum & universale ciborum condimentum, imo primum sapidum, unde & quæ insipida sunt insulsa appellantur, ita & Salivæ ope non tantum sapores linguæ communicantur, dum assumpta, illa mediante solvuntur, unde & ea deficiente, vel vitioso caractere inquinata, assumpta aliàs etiam sapidissima vel insipida, vel alieno sapore prædita videntur, sed etiam ipsa saliva est salsa, & particulas salinas in sese possidet, quod ejusdem evaporatio docet, etsi enim falsedo illa in Lingua non percipiatur, sed potius ἀπὸ τοῦ secundum Naturam esse debeat, imo sapor salis ægri
stoma-

stomachi, non temperatæ complexionis indicium fit, uti Zacutus Lus. l. 2. Prax. histor. dub. XI. p. m. 202. loquitur, nil tamen obstat, quo minus salinæ Naturæ eandem esse statuamus. Non multum ab hisce recedunt, qui à saliendo id est condiendo dictam esse salivam dicunt, uti Zacut. l. c. ubi inquit: Qui vim salivæ novit, potestatemque in ore, à saliendo, id est condiendo & saporem impertiendo verius dicet, cujus enim rei ab ore percipitur sapor, cujus cibi sensum habebit gustans Lingua, Salivæ ope destituta? Græcè appellatur *πύελον*, *σιέλος*, *σιαλὶς* *σιαλὸς*. Unde & Hippocrates 2. de Morb. vulg. comm. 2. & alibi *σιαλοχόος* vocat illos, qui copiosam fundunt ore Salivam. Germ. dicitur *der Speichel*.

III.

Quod ad Homonymiam attinet, saliva quoque pro gustu & sapore ponitur, saliva enim est inter causas saporis, quatenus eum educit in actum; ita Plin. l. 23. c. 1. sua cuique vino saliva innocentissima. Et ap. Plaut. saliva vini, id est sapor, gustus. Et apud Persium: nec tenuem solers turdorum nosse salivam, ubi juxta Erasmi. Salivam pro gustu dixit. Plinius alicubi salivam siderum appellavit, materiam illam gelatinosam, quæ aliàs cœliflos seu cœlifolium à quibusdam dicitur, & nonnunquam æstate vel autumnno in viis instar gelatinæ coagulatum matutino tempore ante ortum solis invenitur, quamprimum vero solis radii illud attingunt, mox in aquam resolvitur, ideoque ultra horam post exortum solem non durat, nec uspiam toto die reperiri

periri potest, & Germ. das Stern, Geschoss oder Stern-Puſſen appellatur. De qua re conf. C. N. C. Dec. I. ann. 6. & 7. in append. p. m. 184. seq.

IV.

Sumitur etiam quandoque per metaphoram pro humore lento instar salivæ. conf. Martin. Lexic. Philosoph. ita in fruticibus, sentibus & dumentis, materia quædam spumosa quandoque hinc inde adhærescit, quæ à vulgo spuma cuculi, **Rufucks-Speichel** appellatur. Observavit Mich. Bernhard. Valentini C. N. C. Dec. III. ann. 2. obs. 121. p. m. 184. in hac massa nunquam non abscondi vermiculum, successive se in papilionem transmutantem, & hinc inde saltitantem, cujus excrementa ab admisto aëre in spumam illam Salivalem abeunt, unde & vermem illum salivatorium nominavit. Alias Pyretrum, apud Dioscorid. l. 3. c. 69. Salivaris herba dicitur, eò quod masticata Salivam copiose proliat, unde & quibusdam Germ. **Speichel-Wurzel** appellatur.

V.

Saliva vero & sputum non sunt synonyma, sed inter se omnino differunt, sputum enim, πύσμα Græce, est humor excrementitius, qui cum exscreatione plerumque rejicitur, Saliva vero est, ille humor, qui ἀπομαρτῶς, uti Cl. Nuckius exprimit, per ductus salivales in os fluit, non ad exspuendum, sed ut deglutiat. Per sputum vero intelligitur partim tenax & viscidus humor, qui in ore quandoque cum molestia colligitur & redundat, & vel

ex salivæ aliqua corruptione generatur, uti in pluribus febribus contingere solet, vel ex pectore & Pulmonibus provenit, ibique sive secundum sive præter naturam collectum, per bronchia & asperam arteriam cum tussi vel excreatione in os expellitur, sicuti hoc in Pleuritide, Peripneumonia, phthisi, hæmoptysi aliisque thoracis Morbis contingere videmus, & sputi nomen specialiter sibi tribuit, de quo prolixè hinc inde Hippocrates, quatenus signa in hisce Morbis desumuntur, & Hieron. Mercurial. l.3. c.3. de Excrementis: vel ex Capite humor aquosior & serosior depluit ad uvulam, fauces & laryngem, uti in Catarrhis hoc fieri observamus, vel è naribus per palati posteriora ad fauces descendit, & plerumque sub muci nomine venit.

VI.

Est vero Saliva liquor serosus & limpidus, facile fermentescens, in se continens particulas $\ominus$ ino volatiles oleosas spiritibus imprægnatas, ex sanguine in glandulis oris ad id opus destinatis generatus, indeque per peculiaria sua vasa salivaria suosque ductus & transitus in oris cavitatem effusus, inque varios & nobiles usus destinatus.

VII.

Non esse liquorem mere aquosum, satis hoc evincit, quod sit lymphæ progenies, sed est corpus quoddam compositum ex varii generis particulis constans, aqua paulo crassiolem consistentiam possidens, unde etiam paulo spissior est, viscidior & glutinosior, nihilominus tamen partium tenuitate
& vir-

& virtute penetrandi & resolvendi gaudens. Et omnino necessum erat ut non unius generis particulas in sese contineat, quo nimirum tam diversis esculentis & potulentis commode & promte misceri, illa intime penetrare, eorum poros subire, & partes alias ab aliis divellere queat.

VIII.

Ut vero eo melius de saliva judicium ferri possit, præcipue cum non in omnibus, nec omni tempore pura & sincera reperiat, propterea de ea judicandum, quatenus depræhenditur in homine adulto, optima sanitate gaudente, eoque jejuno. Post cibum enim sumtum alienis particulis imprægnata est.

IX.

Saliva vero hominis sani tali modo constituta esse depræhenditur. Nulla qualitate juxta Galenum l. 3. de loc. aff. c. 7. est imbuta, sed quatenus eam Lingua dignoscimus, prorsus est insipida, vasculo seu vitro si excipiat, etiamsi per unum vel alterum diem asservetur, tamen est inodora, ratione coloris parum turbida & pallida instar feri lactis, si gutta una vel altera sensim effundatur, viscidam eandem observabimus, superficiei spumam quandam inhærere videbimus, eamque non ita facile evanescentem sed bullulæ hæ ad aliquot etiam dies perdurabunt, indicio oleosam esse viscositatem, sicuti hoc ipsum in sapone in aqua dissoluto cernimus, tandem si per aliquot dies steterit in vitro, paulatim floccos quosdam seu filamenta liquori innatantia

conspicies , quæ sensim atque sensim ad fundum vasis secedunt , & sedimentum albicans efficiunt , quod externo aspectu materiam quandam puri haud absimilem refert.

X.

Si destillationi committitur , dum leni etiam igne incalescit , in plurimas eandem bullulas abire conspiciamus , quibus evanescentibus statim novæ aliæ , sed non æque copiosæ emergunt , quarum eruptio , licet non adeo copiosa , ad finem usque destillationis perseverat , liquor per destillationem abstractus limpidus est plane , clarus , insipidus , quarta circiter pars residua permanens , materiam purulentam tenuiorem & nonnihil viscidam præ se fert , quæ testimonio Nuckii gustu explorata de acredine salina nonnihil participat. Si vero saliva plane evaporetur ad siccitatem , in fundo remanebit sal quoddam subalbum , paulum acre , Linguam feriens. Nuckius ante laudatus ex ꝑij Salivæ evaporatæ recepit grana 5. materiæ fusci coloris , Linguam acore ferientis , cui plurimas particulas scintillantes hinc inde permixtas vidit.

XI.

Si fermentationi vel putrefactioni per plures dies committatur , tunc insignem graveolentiam & foetorem de se spirat , manifestum particularum sulphurearum indicium præbens. Et ita destillata lenissimo etiam ignis gradu ad alembici summitatem ascendit , quo caloris gradu aqua communis destillando non ascendit , id quod de particulis spirituosiss & volatilibus testatur. Imo tradit Frider. Hoffmann.

mann. Disput. de Necessaria Salivæ inspectione, ex Saliva putrefacta certa encheirisi destillari posse spiritum, qui etiam metalla adurit, ipsumque aurum nigredine afficit. Unde & secretioris Chymiae amatores salivam pro Menstruo universali venditant, & inde menstruum solvens Catholicum sibi promittunt, de quibus ipsorum somniis in alia disputatione loquendi occasio forte dabitur.

XII.

Si vero cum variis aliis rebus saliva permiscetur, observatur eandem promte cum variis, etiam diversissimis, alcalinis, acidis, spirituosiss, fixis, oleosis &c. permisceri & cum quibusvis sese facile jungere, & quamvis in quibusdam lenior lucta intercedit, tamen omnibus sese associat, & de colore parum vel nihil mutatur, sicuti variis experimentis id comprobarunt Nuckius, Baglivi, qui prolixè ea instituerunt, tum in Saliva ipsa, tum in liquore inde destillato, tum etiam in capite mortuo post destillationem & evaporationem residuo. Ex quibus non inconcinne concluditur, salivam pari quoque ratione ore exceptam, vel Ventriculo traditam, esculentis & potulentis commodissime jungi, quibus pro universali menstruo inservit.

XIII.

Qualis Naturæ sint partes salinæ salivæ si quaeritur, videntur nec esse alcalinæ, nec acidæ Naturæ, sed esse sal enixum sui generis. Unde sententiæ Celeberr. Baglivi accedimus, qui statuit, salivam in se continere salem ☉tro - ☉inum, universali ☉i

valde analogum , ob eximias ac prorsus mirabiles suas vires , quas solvendo , fundendo , abstergendo , potenter penetrando , in fermentatione ciborum , purificatione chyli , coctioneque absolvit. Quod vero non tantummodo ratione particularum salinarum fit , nam ope spirituosarum maximam vim penetrandi habet , mediantibus salinis partes Δ eas extrahit , & resolvit , aqueæ vero molles salia & gummeas partes in cibo resolvunt & imbibunt.

XIV.

Subtiles , spirituosas partes per nervos Salivæ communicari, iisque eandem imprægnari multa sunt quæ hoc suadent. Siquidem ad cibum desideratum Saliva copiosa in os profluit , propter spirituum appulsus , & tempore illo quo cibum assumimus in majori copia Saliva adfluit , quam ut quis facile credat , non tantum ob agitationem oris & glandularum salivalium ex motu compressionem , sed etiam quod tunc spiritus animales in majori copia versus has glandulas determinantur , ipsique salivæ turgescentiam & orgasmum imprimant , unde & nonnunquam cum impetu in os proflire eandem experimur. Et copia hæc spirituum causa videtur esse , cur saliva frigore etiam intensissimo non facile in glaciem concreseat , quod cum aliis liquoribus spirituosus commune habet. Refert Frider. Hoffmann. Fundam. Med. Salivam in vitro antliæ pneumaticæ immissam , extracto inde aëre protinus conspici agitationem , ebullitionem nec non spumescientiam ipsius Salivæ , sicuti hoc in spiritu vini , aliisque liquoribus spirituosus id ipsum quoque contingit e-

tingere videmus, nam dempto atmosphaerici aëris pondere, tenues & elasticæ Salivæ particulæ libertatem sese expandendi & egressum moliendi adquirent, unde dicta ebullitio postmodum dependet. Licet non negemus hanc ebullitionem ab aëre in Saliva existente ex parte quoque provenire. Spiritibus animalibus Salivam imprægnari vel hoc argumento esse potest, quod morsus ab homine ira ex-candescente illati, inter deleterios & venenatos referantur, conf. Beck. Medic. Microcosm. c. 3. p. 17. imo nonnulli arma seu tela Saliva hominis infici posse juxta eundem p. 20. tradunt, qua de re plura dici possent, sed ἐπέχω. Quid morsus canis rabidi efficiat exempla tragica declarant, calamitatum tamen harum causa vix aliter quam spiritibus Salivæ communicatis, tribui potest.

X V.

Salivam possidere vim fermentativam notissimum est, unde & Ettmülleri testimonio panis biscotus probe masticatus & Saliva largiter imprægnatus, massam farinaceam instar communis fermenti fermentare facit. Agnovit virtutem hanc jam Avicenna qui f. 1. doct. 4. c. 2. ex hoc ipso probat Salivam coctionem in ore adjuvare, quod ipsa coquendi vim habeat, pro exemplo allegat triticum masticatum, quod tubercula concoquere potest, non ob aliam rationem, nisi quod in masticatione hujusmodi Saliva vi concoquendi prædita tritico permiscetur. Ob eandem Rationem scribit quoque Galen. 5. sec. loc. 1. fabæ lomentum commansum summe discussorium evadere ob facultatem à Saliva sibi com-

commissam. Conf. Zacut. Lus. l. 2 M. P. H. dub. XI. p. 203. & lib. 5. 32. p. m. 491. Notat Kerger. de fermentatione pulmenta cochleari facta, quod ex ore hominis trahitur facile & brevi fundi & fermentescere. Unde & in fructuum succulentorum conditura, si vel lambendo cochleare aliquid Salivæ iis permisceatur, conditura facilius fermentat & acescit. Quomodo alias etiam Cerevisiæ de novo motus fermentativus conciliari queat conf. Autor Anon. *entdeckte Geheimnissen von Schönheit der Damen.* p. m. 739. Sic vim Salivæ fermentativam quoque id probat, quod mediante ejus vi sæpius Morbi communicentur, nunc per oscula, quando Salivæ oris junguntur, ut phrasi Lucretii utar, nunc per communia pocula. conf. Mauric. Hoffmann. *Sciagraph. Morbor. contagiosor. disp.* 36. p. m. 71. ubi egregie hæc declarat dum inquit: Quam certum est Salivam sequi conditionem spirituum animalium, tam facile vitiosa ejus & contagiosa Natura multiplicari potest, dum effervescendo sobolemque sibi similem producendo quasi gliscit, elucescit hoc in exulcerationibus oris tum Gallicis tum scorbuticis, qua occasione isthæc mala privata, publica fieri solent.

XVI.

Clarissime vero vim ejus fermentativam declarant potionis quædam genera, Americanis quibusdam populis non ignota, quibus in insula Mocha potus inebrians in usu esse solet, è frumento Indico, quod Maizium dicitur, à vetulis edentulis masticato, atque ita saliva subacto, fermentatus, prout
in O.

in O. Dapperi descript. 'Americ. l. 2. c. 1. videre est. Qui porro l. 3. c. 4. in Brasilia quoque radicem Aipimakaxera & c. 3. in Gujana radicem Kassavi à vetulis & infantibus similiter tractatas ad potum fermentandum adhiberi scribit. Uti hæc ex eod. refert Schroeck. C. N. C. Dec. II. ann. 6. obs. 162. p. 150. conf. Dobrzenski C. N. C. Dec. I. ann. 9. & 10. obs. 170. Schol. p. m. 385. ubi ad hanc Salivæ vim probandam tradit, populos insulæ Formosæ, ut refert Legat. 2da Hollandorum in Chinam p. 4. ideo oryzam Saliva imbuere, & postea pastæ ex oryza cum aqua subactæ commiscere, ad potum ordinarium inde conficiendum, ut nempe eò facilius intra mixturam illam fermentationem producant.

XVII.

Generatur vero Saliva in glandulis oris, iisdemque satis copiosis & manifestis, in ore ex circa os confitis, quæ glandulæ ex sanguine per arterias (quarum minutissimi ramuli in eas disperguntur) eò delato liquorem hunc elaborant & secernunt, qui liquor ab hisce glandulis deinde in os per singularia vasa excretoria, salivalia appellata delatus conjunctim Salivam constituit. Et has glandulas Galenus jam agnovit, etsi enim dixerit Salivam esse ex Pituitæ genere, quæ per os citra tussim educitur, l. 3. de loc. c. 7. tamen lib. 2. de Sem. c. 6. appellavit eam excrementum glandularum quæ sub Lingua reperiuntur. Et glandularum quæ in faucibus sitæ sunt usum magnis jam encomiis celebravit Gal. l. 14. Meth. Med. c. 11. prolixè itidem de iisdem agit libr. 3. de alim. facult. cap. 6. ubi monstrat gigni Salivam à glandulis, quæ à Natura collocatæ

sunt in faucibus, ut scil. ea ipsa fauces irrigentur, ac tum majores & manifestas tum etiam exiles & minores & quæ vulgus ipsum latent describit. conf. Mercurial. lib. 3. de excrem. c. 3. Columb. l. 9. de glandulis stat. ab initio. Deusingius de alimenti præparatione, Avicennæ jam cognitos ductus salivales & jam à Galeno designatos variis testimoniis ex eorum monumentis sumptis probare contendit. Ut & allegante Sylvio Prax. l. 4. tract. 6. §. 145. autor libelli cujusdam inscripti Metamorphosis Æsculapii & Apollinis Pancratici, ficto nomine se Leoniceum nominans.

XVIII.

Sed recentiorum industria longe clarius Salivæ hosce fontes detexit, & in aprium produxit, inter hos primum locum meretur Celeb. Thom. Warthonus in sua adenographia cap. 21. p. 116. seqq. qui ductus salivales inferiores dictos, ut & glandulas ex quibus oriuntur adcurate descripsit. De iis etiam mentionem facit Franc. Glisson. Anat. Hep. c. 45. p. m. 529, quæ vasa excretoria à Warthone & à se primum descripta reperta esse arbitratur. Ab istis igitur glandulis immediate intra maxillam inferiorem sitis, bina quoque vasa excretoria emergunt, quæ tandem prope duorum inferioris maxillæ incisuræ radices papillarum forma in os aperiuntur, ut Salivam in os effundant.

XIX.

Hisce glandulis & ductibus Warthonianis, accedunt alii ductus à Casp. Barthol. Thom. filio anno 1682. primum detecti, à duabus glandulis conglomeratis

meratis sublingualibus dictis assurgentes, è quarum substantia radices agunt, perguntque supra Warthonianos immediate, donec una cum illis egrediantur ex iisdem papillis, & diversis ostiolis, nullo modo cum Warthonianis tamen communibus, ad digiti fere distantiam à dentibus hiant per oris tunicam, osculis nisi premantur vix conspicuis. Hosce tamen ductus ab Aug. Quir. Rivino Prof. Lips. primum inventos esse testatur Dissert. Med. ann. 1679. de dyspepsia habita, ubi in Corollariis hæc vasa distinctissime, eorumque origo decursus & orificia describuntur, quorum descriptio exinde quoque apud Nuckium habetur.

X X.

Et hi recensiti Ductus appellantur salivales inferiores, qui jam sequuntur, salivales superiores nominantur; primus à Nicolao Stenone primum est demonstratus & ab ipso in observat. specim. de musculis & glandulis descriptus, licet de inventionis gloria inter se litigent Gerh. Blasius & Nic. Steno. Qui ductus est insignis, & à parotidibus per plures ramos in unum tandem truncum confluit & ex diversis glandulæ partibus emergit, inde versus anteriora inter musculum buccinatorem & buccarum glandulas oblique deorsum tendens, in illam oris partem, quæ dentibus molaribus superponitur prope labrum inferius desinit osculo amplo ac patente, ita ut etiam per tubulum mediocris magnitudinis inflari queat. conf. Verheyen. Anat. tract. 4. c. 13. p. m. 363. & hi ductus salivales tunica satis forti constant, ureteribus haud absimiles, nisi quod minores juxta Barbett. Chirurg. p. m. 426.

XXI.

Alter salivalis superior minor inventus est primum à Cl. Nuckio, dum in ductu Stenoniano quærendo occupatus esset, qui ductus oritur à glandula intra orbitam cranii, ubi pro Oculis locum facit sita, intra musculum oculum abducentem & ossis jugalis partem supremam, ubi ex hoc glandoso Corpore plurimis furculis in unum ductum coit & recta linea prope os maxillare externe deorsum tendit, ubi osculo suo quam proxime secundum dentem molarem à posterioribus numerando, superiori maxillæ se manifestat, in suprema gingivæ parte, uti Nuckius describit, & in aliquot figuris exhibet. Hunc ipsum ductum Salivalem Nuckianum in lupo pariter invenit Joh. Jacob. Harder. C. N. C. Dec. III. ann. 1. obs. 96. p. m. 153. Notat tamen Frider. Hoffmann. disp. de Saliva, ductum hunc Salivalem à Nuckio descriptum nulla industria in corpore humano reperiri posse, sed vicem horum sustinere sex glandulas, pisi majoris magnitudine recta linea notabili intervallo ab invicem disjunctas, super musculum buccinatorem & infra masseterem collocatas quarum quævis peculiari ductu, setam equinam admittente in ipsum os hiet, primumque horum ductuum orificium statim post orificium ductus Stenoniani recta linea positum esse, & novas hasce glandulas repetitis vicibus à se publice esse demonstratas. Cujus rei ulterius examen hac hyeme in Theatro nostro Anatomico volente Deo instituemus.

XXII.

Non tantum vero per hasce glandulas majores
& ma-

& manifestos ductus excretorios, sed adhuc per alias minores easque admodum numerosas Saliva in os pervenit. Siquidem tota buccarum interior regio ejusmodi glandulis confita est, refertque Stenon l. c. Sylvium in homine buccarum glandulas observasse, cum haberet ægram, buccarum ulceribus laborantem, & cum limpidam inde aquam salivæ æmulam manare videret, data in Nosocomio occasione glandulosam illarum carnem ipsi demonstrasse, quæ omnes glandulæ vasis suis excretoriis præditæ sunt, sed breviora sunt ea, vixque per expressum humorem conspicienda. Pariter in ipsis labiis copiosæ glandulæ conspiciuntur, quæ juxta eundem Accuratiss. Stenonem in homine labiorum stipantes ambitum totidem uvas referunt, vasorum ad illas nervorumque distributione figuræ gratiam augente-

XXIII.

Ipsa non minus caro gingivarum laxa mollis & spongiosa, glandulosa existit, quod præter *αὐτοψίαν* ex intumescencia cita, humorum absorptorum affluxum sequente colligimus. Ultimo tecta palati caro tam in brutis quam in homine nihil aliud est, quam conglomerata quædam glandula, unde innumeri exiles ductus prodeunt, qui ipsam membranam perforantes, quasi cribrum inde formant, quæ glandulæ numerosæ juxta Verheyen Anat. tr. 4. c. 18. sub tunica palati sitæ, magnitudinem habent fere seminis lithospermi, è quibus ad interiorem superficiem palati exeunt ductus excretorii, quorum oscula per compressionem redduntur patentia. Et si ex observatione Stenonis avium rostra distraxeris, ibi quoque hujus liquoris in palato superiori notabis fontes.

Jam si hisce recensitis tonsillas vel amygdalas annumeres , quæ glandulæ sunt congeries plurimorum acinorum , pumicosæ cavernosæ & glandularum mammarium instar flaccidæ , è quibus vel leniter compressis egreditur liquor quidam , qui si non est Saliva cum eadem tamen maximam habet affinitatem , Saliva paulo viscosior ad fauces partesque vicinas pro motu faciliiori lubricandas , habebimus certe ingentem numerum glandularum Salivam elaborantium.

X X I V.

Cum itaque hujus tot fontes , & rivos , tot glandulas & ductus conspiciamus , non necesse est , ut eandem aliunde arcessamus. Nec enim ex Cerebro & Capite in fauces & os destillat , & depluit , siquidem vix hoc in statu Naturali contingit , & si hoc contingit , tantum abest , ut Salivæ usum adjuvet , ut potius maximopere impediat , id quod satis docent ij qui Catarrhis vexantur , & Coryza laborant , siquidem in illis genuinus ciborum sapor in Lingua non percipitur , sed omnia fere insipida , vel salsa apparent , appetitus prosternitur , &c. dum nempe Saliva cum Pituitoso hoc Capitis excremento permixta , hac ratione in actione sua Naturali & laudabili impeditur.

X X V.

Nec ex Ventriculo haurire opus habemus , ut eandem quasi in profundo demersam inde extrahamus. Ita Cartesius lib. de homin. artic. 8. ortum Salivæ è Ventriculo deducit , dum putat quasdam Sanguinis arteriosi particulas in stomachum & Intestina incidere , quæ à calore satis valido in vapores reso-

resolutæ, per œsophagi canalem in oris cavitatem
ascendant, atque ibi demum in guttas condensatæ
istic Salivam constituent. Eandem ex parte senten-
tiam fovet Paul. Barbett. in sua Chirurg. l. 2. c. 14. p.
m. 424. cum enim observasset magnam nos sæpius
Salivæ copiam brevi tempore ejicere, vix possibile
ipsi videtur tanti quantitati arterias & nervos suffi-
cere, ut à sanguine separari possit, in suppetias igi-
tur advocat Ventriculum & lymphæ ductus, qui par-
tem liquoris subministrent. Nec enim argumenta
quæ ibi pro sua sententia stabilienda profert, alicu-
jus ponderis sunt, videmus enim hic glandulas pro
secretione liquoris etiam copiosi sufficientes, vide-
mus vias & ductus satis patulos eosque plures. Ipso
sensu hoc percipimus Salivam per ductus ante de-
scriptos in os proflire. Et licet observemus in Vo-
miturientibus & nauseantibus liquoris limpidi ejus-
que satis copiosi excretionem contingere, ille tamen
non ex Ventriculo sed ex his ipsis glandulis prove-
nit. Quod etiam in illis videmus, qui soda seu ar-
dore Ventriculi vexantur, horis præcipue matutinis,
ubi pariter liquor limpidus prodit, quem vulgo *das
Herz Wasser* appellant. Notum enim est, uti
grata quæ appetimus Salivam movent, ita etiam non
minus ea quæ averfamur Salivam in os concient, ob
aversationem stomachi indeque imminentem nau-
seam vel vomitionem ipsam, cujus prodromus Sa-
liva solet esse ordinarius. conf. G.W. Wedel. C.N.C.
Dec. II. ann. 6. obs. 213. p.m. 428.

XXVI.

Salivæ Materia non adfertur per vasa lymphati-
ca, etsi ea lymphæ sit progenies, horum enim vaso-
rum

rum officium est lympham à partibus versus cor vehere, non vero contra, quod vel solæ valvulæ quæ in iis conspiciuntur, satis manifeste docent. Nec succus quidam nervosus, qui nondum demonstratus est, hic allegari potest. Licet non negemus ipsam Salivam spiritibus animalibus imprægnari, etiam ex hoc argumento, quod plures nervi hisce glandulis inserantur, quam quidem vel pro sensu vel pro motu requiritur. Solus igitur sanguis per arterias eò delatus restat, qui ad has glandulas appellens, inque intimam earum substantiam quaqua versus penetrans accedente certa particularum & pororum configuratione, verbis vix definienda, hæ non aliæ partes transmittuntur, reliquæ vero in venas receptæ ad cor revehuntur. Curiosum hac in parte est experimentum Cl. Nuckii, qui refert venis jugularibus subductu filo in cane arcte ligatis non tantum lachrymas copiosius prodire, sed etiam Salivam tam copiose profluere, ac si Mercurio assumpto fluxus ille concitaretur, quod non aliunde provenire, quam ab impedito sanguinis ab arteriis in venas circuitu existimat.

XXVII.

Cum tot sint organa salivæ secretoria probabile admodum est, satis magnam ejus quantitatem quotidie elaborari, præcipue cum nobis vel non cogitantibus, vel etiam dormientibus in os confluere soleat, non facile vero est eandem determinare, quidam in statu Naturali XII. horarum spacio libram integram fecerni tradunt, quod non nimium esse videtur. Siquidem continuo in os fluit, & sponte deglutitur, unusquisque in semetipso observare ac
notare

notare potest illam Salivæ in os effusionem, deglutionemque perpetuam. Si enim studio quis sibi caveat à salivæ in os fluentis deglutatione mox sentiet os illa brevi repleti. conf. Sylv. Prax. Medic. append. tract. 5. §. 158. seqq. Etiam pro voluntatis imperio integrum nobis est Salivam copiosiore in os prolicere per suctum, Linguae & buccarum commotionem, duriorum corporum in ore volutationem, rerum acriorum masticationem &c. copiosissima vero prolicetur eo tempore quo cibum masticamus, tum enim quadrantis horæ spacio plus, quam tribus vel quatuor integris horis prolicetur, quod non attendenti vix credibile videtur. Imo etiam noctu fit illa secretio, licet multo in minori copia, quam de die, eo quod sanguinis & spirituum mitior sit versus glandulas Salivales appulsus, motus musculorum & linguae & hinc glandularum compressio ferientur. Eam tamen etiam de noctu fieri inde observamus, quod prono corpore dormientibus eadem ex ore profluat, & cum mane surgimus peracto somno os humidum esse depræhendatur.

XXVIII.

Necessaria itaque est ejus debita quantitas, & hinc videmus non esse humorem excrementitium, sed utilem & necessarium, hinc etiam per tot glandulas & tot ductus in os profluit. Imo si in minori quantitate adsit, præter alia incommoda ipsam ciborum resolutionem, non æque feliciter contingere necesse est, non enim generatur ut expuatur, sed ut in ore cibus permisceatur, & deglutita vires suas in ipso Ventriculo exserat. Alias quidem nimia

D

Quan-

Quantitas Salivæ, malæ Ventriculi coctioni adscribitur, & cruditatibus laborantes perpetuo Salivam in ore habent, ut continuo expuere cogantur, quale exemplum refert Forest. lib. 14. obs. 23. p. m. 454. imo apud Persas testimonio Xenophontis erat indecorum & ignominia argumentum, quando homines frequenter expuerunt, existimabant enim, vel esse repletionis & crapulae indicium, vel nullis corporis exercitationibus uti. Ita Plin. l. 7. c. 19. de Antonia Drusi uxore refert, quod nunquam expuerit. Interim tamen hoc certum est etiam in homine sano & inculcata valetudine utente, eandem quandoque ab ore duci debere. Ipse quidem Hippocrates lib. 3. d. diæta, mucum & Salivam repletionis signum esse tradit, & quibus sunt nares humidæ & genitura humidior, eos non adeo prospera valetudine frui. Unde & Catullus inter alia paupertatis commoda hoc recenset, quod cum pauperes cogantur temperate vivere non habeant Salivam & malam nasi Pituitam :

A te sudor abest, abest Saliva
Mucusque & mala Pituita nasi.

Sed hæc omnia non de Saliva nostra naturali sunt intelligenda, sed de humoribus serosis excrementitiis inutilibus, crapula vel aliunde coacervatis, ipsamque Salivæ nostræ virtutem obtudentibus, & evertentibus.

XXIX.

Jam ad Salivæ usus accedamus. Illa igitur totam oris cavitatem humectat, ut & Linguam pro
faci-

faciliore & expeditiore ipsius motione, ipsas fauces & gulam irrorat pro loquela & deglutitione facilitanda. Quid ad claritatem ipsius vocis hac in parte faciat, satis ex hoc patet quod diu loquentes ob nimiam oris & faucium exsiccationem tandem in fine orationis raucam vocem acquirant, unde non mirandum, si cantores amant humores, quo nimirum raucedini obviam procedant, & Salivæ defectum resarciant. Observamus quandoque in febribus ardentibus vocem non tantum raucam sed ob nimiam exsiccationem etiam clangosam fieri, quod malum esse jam Hippocrates prædixit. Imo in nimia oris siccitate Lingua aliàs satis volubilis difficilius movetur, ut loquela non nisi cum difficultate contingat, & Lingua fere faucibus hæreat. Ipsa deglutitio vix nisi sufficienti humido adjuta contingit, protrusio enim longe facilius in humido quam sicco peragitur. Certe pulveres, pilulas, aliaque corpora sicca nemo deglutire poterit, nisi sufficienter humectentur, aliàs in summitate oesophagi hærebunt. An vero etiam dum Saliva asperam arteriam humectat ulterius ea progrediatur & una cum aëre inspirato Sanguini per Pulmones meanti se immisceat, uti dubitative hoc proponit Sylv. Prax. l. i. c. 25. §. 1. p. m. 222. ita hoc ipsum negative proponere non dubitamus.

XXX.

Eo ipso quoque dum oris hæc partes humectat, hac ratione, sitim, aliàs perpetuo molestant futuram, restinguit. Quam molestum sit Symptoma in febribus sitis hoc quotidie experimur, dum

quandoque de nulla alia re magis queruntur quam de siti nullo potu lenienda, quæ præter alias causas & hinc potissimum oritur, quando Saliva viscidior & glutinosior, ab intenso calore partibus tenuioribus absumtis reddita, ductus obstruit, ut vel non, vel nisi parcissime in os influere possit, unde contingit, ut lentor viscidus instar glutinis tenacissimi palato, buccis, Linguae dentibus adhaereat, ipsaque Lingua præ siccitate dehiscat, quos lentores etiam malos, imo lethales Hippocrates pronunciavit. Ob hunc Salivæ defectum fit, ut quamvis copiosissime potum ingurgitent, sitis tamen exinde non sedetur, sed quamdiu liquor os & oesophagum transit solatium quidem aliquod percipiant, quamprimum vero liquor in Ventriculum descendit, remoto ab ore vase sitis ut ante urgeat. Hinc sæpius oris collutionibus, crysalli in ore agitatione, &c. ut salivalis liquor in os proliciatur, sitis melius quam copioso potu sedatur. In Hydropicis videmus etsi viscera & Ventriculus aquæ innatent, hoc tamen contingere, ut, quo plus sint potæ, plus sitiantur aquæ, quod partim nimiae feri salsedini, partim Salivæ defectui adscribendum venit.

XXXI.

Et hic salivæ usus satis insignis esset, sed adhuc alios & nobiliores possidet. Est enim verum & genuinum gustus medium, saporumque vehiculum, mediante quo illi Linguae nerveis papillis communicantur. Etsi enim quæ liquida sunt saporem suum Linguae immediate impertiri queant, hoc tamen non æque circa solida obtinet, cum enim juxta receptum

cano-

canonem salia non agant nisi resoluta, humido quodam omnino opus est, nam quæ sicca sunt, nisi suas sapidas particulas in humido quodam solvente dependant, nullum exferunt saporem, hinc hic salivialis humor omnino requiritur ad gustum, cum, juxta Wedel. Physiol. f. 4. e. 6. è siccis Tinctura sapida sine aliqua humiditatis profusione vix educi ac elixivari queat. Hinc quædam statim saporem Linguae imprimunt, uti sunt liquida & spirituosæ, quædam aliquandiu in ore detineri debent, donec Saliva diluantur, eaque se in assumptorum poros insinuet, particulas eorum salinas resolvat, & sic iisdem imprægnata eas Linguae pro saporis sensu communicet; quædam etiam si diu in ore detineantur, plane sunt insipida ac talia permanent, vel quod nullas particulas sapidas salinas in se contineant, vel à Saliva illæ dissolvi nequeant, nec per consequens Linguae, saporis organo imprimi, uti sunt metalla, lapides, ligna &c.

XXXII.

Gustum vero dependere ab ipsa Saliva vel ex hoc quoque patet, quod ea deficiente, gustus quoque pereat, uti hoc querelæ febricitantium satis testantur, quibus nihil sapit. Id quod coryza laborantes quoque experiuntur, quibus itidem omnia insipida videntur, hisce enim serositatibus superfluis Saliva debilitatur ut minus apta evadat, ad sapores recipiendos. Pariter si saliva vitiosa & aliena qualitate est imbuta, prout Saliva est affecta, omnia assumpta tali sapore prædita esse videntur, sic si Bilis è ventriculo ascendat, vel alio aliquo humore, ☉, acido, austero saliva inficiatur, omnia edulia amara, sal-

sa, &c. nobis apparebunt. Nec absque ratione, cur qui cibus uni est gratissimus, & in summis deliciis habitus, alteri vero adversissimus, imo nauseam & fastidium creet, causa inter alias ipsius salivæ qualitati adscribitur, hinc amara, dulcia, &c. alios juvant, alios lædunt, hinc juxta Horat.

**Tres mihi convivæ prope dissentire vi-
dentur**

Poscentes vario, multum diversa palatu.

Quod non tantummodo in statu s. N. apparet, sed etiam in statu præter Naturali, sic causam depravatæ appetentiæ in Saliva latere existimo, videmus enim in Pica & Malacia summo cum appetitu & delectatione res desideratas assumi, & certe nisi ad palatum essent, non tam avide ea expeterent, & deglutirent, cum omni animali à Natura insitum sit, ut fastidiat quod sibi ingratum. Licet non negaverim Corporis & Ventriculi malam constitutionem hic concurrere, imo etiam ἀρρώστιαν διαβολίαν esse accusandam.

XXXIII.

Porro dum cibus assumtus ope dentium masti-
catur & Lingua in ore circumvolvitur, magna salivæ
copia imprægnatur, ut cibus primam in ore altera-
tionem subeat, ut dentibus comminutus quasi mace-
retur, quo deinceps in Ventriculo facilius resolvi
possit. Et magnum momentum in hoc ipso situm
est, siquidem Arabes recte dixerunt, qui masticatio-
nem negligit ille animam suam odio habet, non so-
lum

lum ob hoc ipsum quod dentibus non comminutus
cibus menstruo ventriculi ingressum deneget, sed
etiam quod liquore hoc fermentativo diluente &
solvente privetur. Notanter hanc in rem Helmont.
de Vict. Rat. §. 21. p. m. 280. Cum cibus omnis mu-
tari debeat in cremorem, sitque exquisita masticatio,
quæ digestionem faciliat, hinc perpetuo masticatio-
nem severissime commendo, siquidem unicus bolus,
non rite masticatus, plus negotii præbet in corpore
quam tres mandendo contriti bene. Aves enim
ideo, quia dentibus carent, duplici stomacho opus
habent, utut digerendo aliàs essent potentissimæ.

XXXIV.

Macerationem hanc ciborum maxime necessa-
riam esse, satis est manifestum. Siquidem uti vide-
mus in operationibus Chymicis, res solvendas & ex-
trahendas antea debere præparari, dum primum
grosso modo inciduntur & contunduntur, & deinde
super affuso convenienti liquore macerantur & mol-
liuntur ut intime & centraliter solvi queant, alias fru-
stra integra præcipue solidiora menstruo etiam con-
venientissimo injecta, ea vel superficietenus tantum
aggrediuntur, vel non nisi longo tempore opus suum
perficiunt, ita circa primam ciborum in ore præpa-
rationem pari modo res sese habet. Mirandum cer-
te est in brutorum animantium genere, quomodo
hac ratione corpora siccissima & quæ nobis omni suc-
co orbata videntur, dum dentibus comminuuntur &
liquore Salivali imbuuntur resolvantur, dum in *μεγά-
λην κοιλίαν* pabulum demittitur, ut inibi per aliquod
tempus maceretur. Maceratum ibi rursus ad os re-
voca-

vocetur , & denuo mansum lævigatumque iterum deglutiatur , uti in ruminantibus hoc videmus , quæ hoc modo stramen , fœnum &c. in succum chylosum convertunt. Vid. Melch. Sebiz. de alim. facult. l. 5. prob. II. p. 1208. In volatiliū genere hoc quoque videmus , quæ cum dentibus destituantur & grana integra deglutiant , hac maceratione summe opus habere , siquidem hæc grana primum in ingluviem dictam perveniunt , ibi moram nectunt , ut liquore salivali macerentur , emolliantur & ita præparentur ut postea in Ventriculo eorum caroso & crasso duobus validissimis musculis constante in Chylum transmutari possint.

XXXV.

Cibus hac ratione salivali liquore imbutus manifestam statim alterationem dum adhuc in ore est subit , certo indicio Salivam esse liquorem valde activum , unde Galen. de Natur. facult. inquit : panis in ore relictus , à masticatione scilicet , non prorsus est panis , nec caro prorsus est caro , sed olet ejusmodi quiddam cujusmodi olet animali os , cæterum dissolutum est & liquatum , & carniū animalium sibi jam admiscuit qualitates. Odor certe color statim mutantur , vinum rubrum , ore aliquatenus agitatū , ut Saliva admisceatur coloris insignem mutationem patitur. Unde resolutio ciborum in ore jam inchoatur & in Ventriculo perficitur.

XXXVI.

Hæc vero resolutio ciborum virtute Salivæ in
ore

ore inchoata, nondum cessat, sed in ipso Ventriculo ulterius continuatur & complementum acquirit. hinc ipsum liquorem ventriculi digestivum adjuvat, & cum eodem tanquam causa socia stat pro unâ: Hinc ex Salivæ defectu vel vitio, etiam alimentorum in Ventriculo fieri solita mutatio deficit, vel viciatur. Partes activæ enim in Saliva latitantes ciborum fermentationem citiorem procurant, ut pauculis horis concoctio absolvatur, aliàs pluribus horis vix perficienda. Observamus in convalescentibus quamdiu Saliva in ore non recte sese habet, quod præcipue ex sapore peregrino quem in ore percipiunt patescit, tamdiu nec appetitum vigere, nec coctionem in Ventriculo feliciter absolvi. Si etiam Saliva in majori quantitate ac par est excernitur itidem tum appetitus imminuitur, tum coctio non æque bene se habet, hinc fumus tabaci manifeste obtundit appetitum, & effato Wedel. Amœn. Mat. Med. l. i. f. 3. c. 6. non videas tabaci bibulum multum comedere, cujus causa non tantum in Δ e narcotico acrimoniam fermenti Ventriculi obtuadente quærenda est, sed etiam in defectu salivæ, nimis inde excretæ. Hinc & post cibum assumptum etiam continuo deglutitur, ut promoveat ciborum in Ventriculo concoctionem & resolutionem.

XXXVII.

Hæc ita se habere & unâ Salivam cum Menstruo Ventriculi concurrere in opere chylicationis, exinde probari potest, quod liquor gastricus vix in tanta quantitate in Ventriculum excernatur, qui tantæ moli ciborum, intimius solvendæ, & quidem

tam brevi tempore par esse possit, cum inter rem solvendam & menstruum solvens ratione quantitatis certa debeat esse proportio, alias vel insufficiens vel tarda admodum contingit solutio. At vero videmus & Salivam largissime cibo communicari, & continuo deglutiri, hinc veritati admodum consentaneum, utrumque liquorem in eundem usum conspirare. Præcipue cum Saliva & menstruum Ventriculi plane congeneres sint liquores, easdemq; particulas constitutivas, ad minimum non multum diversas in se contineant. Præterea Saliva æque apta est corpora quævis non modo in partes integrantes, seu minimas resolvere, (sicuti hoc per menstrua chymica fieri conspiciamus, quæ tamen sæpius per præcipitationem aliosque modos reduci possunt) sed ita particulas mixtum constituentes centraliter aggredi, ut inde nova unio, novumque mixtum emergat. Sicuti videmus ex alimentis tam diversis & multiplicibus, duris, mollibus, viscosis, pinguibus, acidis, amaris, dulcibus &c. Chylum elaborari.

XXXVIII.

Quidam videntes Salivam in chylicatione concurrere, statuebant ex utriusque liquoris concursu emergere liquorem, maxima vi resolvendi præditum, qui se habeat instar aquæ fortis, ex spiritu vitrioli & nitri paratæ. Salivam possidere vim nitrosam, fermentum vero Ventriculi acidam Olicam, hinc si Salivæ nitrosæ, liquor vitriolicus ventriculi jungatur, emergere perfectam aquam fortem, suis effectibus non destitutam. Sed
pro

pro hujus sententiæ everfione vel hoc folum fufficere videtur, quod manifeflum acorem fermentum Ventriculi in fe non contineat.

XXXIX.

Saliva & liquor Ventriculi, ut & fuccus pancreaticus, ficuti in eundem ufum confpirant, dum Saliva coctionem inchoat, eamque una cum liquore ventriculi perficit, fuccus vero pancreaticus in Inteftinis menftrui vices ultimò fubit, ita non multum inter fe differre videntur, quod hinc inde quoque docet Sylvius, nominatim Prax. Medic. app. tract. VII. §. 39. ubi inquit, collato pancreatis Corpore glanduloso, cum non diffimilibus ipfi maxillaribus glandulis Salivam præparantibus, & pancreatico ductu itidem cum non diffimilibus ipfi ductibus Salivalibus, non ita perperam fufpicio movetur de fucco Pancreatico Salivæ quoque fimili.

XL.

Non vero ultra Ventriculi pomeria Salivæ ufus fe fe extendit, nam quod quidam dicunt, eam è Ventriculo egressam lentefcere & fpiffefcere, & ita Pituitam, Inteftinis Naturaliter adhærentem, conftituere, vel juxta alios portionem quandam per venas lacteas transferri ad ductum thoracicum, (cum etiam copiofe deglutita in Ventriculo non diu commoretur, fed ftatim in Inteftina tranfeat,) ibidemque cum lymphâ junctam Sanguini ad cor defcendenti admifceri, utrumque hoc assertum minus cum veritate congruere videtur. Siquidem

dem pituitæ Intestinali producenda: glandulæ Intestinales sufficiunt, licet eam quandoque Intestina humectare non plane negemus. Salivam vero lymphæ denuò communicari nullis argumentis vel experimentis probari potest. Concludimus itaque & dicimus cum Wedelio Physiol. eam tandem spissescendo cum fecibus alvi exire, optime munere suo functam.



XI.

Non vero ultra Ventriculi portam Saliva per
 istam cavitatem, nam quod dicitur, tam è
 Ventriculo copulata, & pulchre, &
 ne Putrem, Intestinis manifestè adherentem,
 continere, vel iuxta alios portionem quendam
 per vias lacteas transferri ad ductum thoracicum,
 (cum etiam copiose delecta in Ventriculo non
 ad commotionem, sed tantum in Intestinis transiret)
 & itaque cum lymphæ iunctæ sanguini ad cor
 descendere admisceri, utrumque hoc aliter
 minus cum veritate congruere videatur. Sicut